

ANTIQUITAS CONFESSIONIS PRIVATE


EX

VETUSTISSIMIS CUM LATINORUM, TUM GRÆ-
CORUM PATRUM SCRIPTIS, UTRIUSQUE EC-
CLESIAE PRAXI, EUCHOLOGIIS, ATQUE CON-
CILIIS DEDUCTA, ET CONTRA EYBELIUM,
ALIOSQUE EJUSDEM IMPUGNATORES,
AC HOSTES DEFENSA

A

P. FULGENTIO HÜLLINGHOFF,
MINOR. CONV.

Superiorum permisso & Approbatione.



Monasterii Westphalorum,
Typis A. W. Aschendorf, Univ. Typogr.
MDCCCLXXXIX.

Bint. 397. (2)

250

Nemo fibi dicat: occulte ago, apud Deum ago:
novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in Cor-
de ago. Ergo sine Causa dictum est, quæ
solveritis in terra, soluta erunt in cœlo?
ergo sine Causa claves sunt datæ Ecclesiæ
Dei.

S. Aug. Serm. 392. n. 3.


Judicium Censoris.

Cum in præsente Dissertatione de *An-*
tiquitate Confessionis privatæ nihil fidei aut
bonis moribus contrarium repererim, Ju-
dico, veniam concedi posse, ut typis
vulgetur

H. J. Forckenbeck,
Ex. Synod.

Monasterii 24ta Martii
1789.

220 in width



PRÆFATIO.

Nil sane optandum magis,
ac illa christianorum om-
nium unitas, quam Christus
Apostolis, ac discipulis suis,
hi vero aliis fidelibus non semel,
nec sine singulari animi ardore
commendarunt, quam & Divi-
nus ille servator aliquando ite-
rum

PRÆFATI.

rum futuram prædixit, ajens:
fiet unum ovile, & unus pastor. At-
que hinc non improbandus, sed
potius summopere laudandus est
labor iste, quo varii Seculo
hoc nostro, quo artes, ac
scientiæ summo fervore excolun-
tur, quoque diversæ Religionis
hominum scripta majori crisi,
ac philanthropia evolvuntur, adeo
varia ad dissidentes inter se chri-
stianos in materie Religionis
uniendos scripta evulgare adla-
borant. At dolendum, haut
paucos ex his a recta, tritave
semper semita aberrare, & li-
bertati nimium favendo eam in-
ter Christianos omnes fidei uni-
tatem introducere conari, quæ
cum genuina, ac primitus intro-
ducta christianæ fidei doctrina
subsistere haut potest. Et pro-
fecto

PRÆFATIO.

fecto D. Eybel in suo libello sub nomine: was enthalten die Urkunden des christlichen Alterthums von der Ohrenbeichte? Wien 1784. unitatem fidei inter omnes Christi oves inepte non minus, ac frustra introducere conatur per hoc, quod non tantum Confessionis auricularis antiquitatem impugnare studeat, sed & ex eo, quod occasione illius aliquando abusus irrepserint, usitatam in Ecclesia catholica Confessionem Sacramentalem vel totaliter abrogandam, vel saltem immutandam esse afferat; Atque idcirco Confessionis hujus antiquitatem, ejusque institutionem Divinitus factam ex traditione non minus, ac historia sacra deductam, & contra frivolos ejusdem impugnatores defen-

PRÆFATIO.

fensam videre, illis saltim volupe erit, qui avitæ nostræ Religionis orthodoxæ sinceri cultores, ac amici citato fortassis libello scandalizati inter protervam irrisorum ejusdem turbam quoddam, ut ut leve, inde præsidium, simulac solatium hauserint.

In Campo Mariano,
die septima Decembris
Anno salutis 1788.

Trac-



Tractatus

De Confessionis Sacramentalis antiquitate

octo articulos continens.

Articulus I.

*Confessio Sacramentalis ne a veteribus quidem
Hæreticis plane rejecta est.*

§. I.

Certum equidem est ex historia Sacra circa Confessionem Sacramentalem hoc adeo salutare pro delendis peccatis remedium ab ipso Christo (ut ostendetur) institutum, non modo posterioribus, sed & primis Ecclesiæ temporibus Varios emanasse errores, ita quidem, ut Seculo II Montanistæ, III. Novatiani, IV. Audiani, ac demum Waldenses &c. in diversos pro varietate suarum sectarum errores pro lapsi sint. Ast qui singulos hos confessio nem sacramentalem plane rejecisse arbitratur, non errat tantum, sed & seipsum in

A

histo-

historia Ecclesiastica prorsus jejunum ostendit. Ac primo quidem Montanistas quod artinet, profecto ex eo, quod hi non omnia promiscue peccata, sed graviora tantum V. G. idolatriam, Maechiam &c. per Ecclesiæ Ministros remitti posse negarent, sicut, eos quoad alia non adeo enormia Ecclesiæ competentem sibi potestatem non sustulisse. Certe quoad hoc credere possumus Tertulliano, qui cum ipsemet jam in Montanismum esset prolapsus hunc in modum scripsit (a) *levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi possunt (pœnitentes) majoribus, & irremissilibus a solo Deo.* Neque hic video, cur absolute subintelligi debeat hæc conditio: si publice confiteantur, etenim an publica; an secretaria Confessio ad modum, non ad ejusdem substantiam pertinet. Dein Montanistas peccatorum exceptorum & aliorum non exceptorum fecisse distinctionem colligi pariter poterit ex Apollinario Hierapolitano apud Eusebium (b).

(a) lib. de pudicitia Cap. 18. (b) lib. V.
hist. cap. 15.

§. II.

Con-
tinu-
at-
Varios quoque fuisse Hæreseos Notianæ gradus, ita, ut a principio solam
ido-

De Confessionis Sacrament. antiquitate. 3

icularam irremissibilem dicerent, postea vero alia etiam peccata ad eandem classem revocarent Novatiani rigidiores, dum interim alii peccata non ita gravia ab Ecclesia remitti posse concederent, testantur nedum S. Ambr. (a), sed & S. Pacianus (b), & alii plures. Quoad Audianos autem tradit Theodoretus (c) ab his confessionem non solum retentam, sed & præceptam fuisse, & totus illorum error juxta eruditos in eo positus erat, quod impositas laboriosas satisfactiones refugerent. — Waldensium quoque patrocinium frustra sibi auccupasse antiquum Confessionis Sacramentalis hostem Dallæum sat clare ex Reinero, & Philidorffio demonstrat illustrissimus Bossuetus ostendens (d) illos confessionem sacramentalem semper retinuisse, nec ante eam abjecisse, quam studio, ac curis Tarelli A. 1536 in Societatem Calvinistarum pervenirent. — Wiclus denique, ut Thomas Waldensis scribit, confessionem non sustulit, sed tantum in eo erravit, quod veller eam ad institutionem Christi referendam non esse.

(a) lib. I. de pœnit. Cap. 3. (b) epist. 3. ad Simporianum. (c) lib. IV. Hæret. Fab. Cap. 10. (d) lib. XI. Variat.

Articulus II.

Recentiores quoque in fide Novatores Confessionem sacramentalem saltem ad aliquod tempus retinuerunt.

§. III.

Quid ab initio Seculi XVI Novatores, seu uti seipso adpellabant, fidei Reformatores de pœnitentia etiam spectata tanquam Sacramentum senserint, ex nullo melius conspici poterit, quam ex classico illorum libro, qui inscribitur *Apologia Confessionis Augustanæ*, in eo autem lequentia legere est: *vere igitur sunt Sacra menta: Baptismus, Cæna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiaæ, nam hi ritus habent promissionem Dei, & promissionem Gratiæ: certo enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur Corpore Domini, cum absolvimur, quod vere nobis ignoscat Deus propter Christum.* Quæ certe verba Apologiæ illius Compilatores ex ipsius Lutheri ore desumpsisse videntur, ac præcipue ex his ejusdem verbis (*): *neganda mibi sunt septem sacramenta, & tan tum tria pro tempore ponenda Baptismus, Pœnitentia, Panis.*

(*) in initio lib. de Captiv. Babyl.

§. IV.

§. IV.

Verum enim vero quisquis animo à *Con-*
judiciis p̄econceptis alieno iſthæc, & ^{tinu,}
ſequentia ejusdem legerit (a): occulta Con-
fessio, quomodo celebratur (in Ecclesia) miro
modo mibi placet, & utilis, imo necessaria eſt,
nec vellem eam non eſſe, cum ſit afflictis con-
ſcientiis remedium. Item iſthæc Calvini ver-
ba (b): qui impeditam habent conſientiam,
referre inde (ex Confessione) poſſunt ſingu-
larem fructum. — Is profeſto mirari ſatis
non poterit inconstantiam illam, qua pri-
muſ in articulis a Leone P. X proscriptis
*occultam Confessionem *Cruentissimam Car-**
**nificinam*, alter vero usque adeo eodem ci-*
*tato locc *tyrannidem, rem pestilentem, mul-**
tis nominibus Eccl ſiæ noxiā, tormentum-
que Innocentianum adpellare ausus fuit.

(a) lib. de Captiv. Babyl. Cap. de pœnit.

(b) lib. III institut. Cap. 4. §. 13.

Articulus III.

Secreta Confessio peccatorum constanti S. S.-
P. P. traditione mititur.

§. V.

Autor citati in p̄efatione libelli to-
tus in eo eſt, ut ex antiquitate prolixos,
in

in multis tamen in sui causam mutilatos
Sanctorum Patrum ex utraque Ecclesia
texrus adducat, queis vel Confessionem soli
Deo factam, vel solam Confessionem pu-
blicam, vel denique privatam tantummo-
do pro habendo Consilio. & instructione
in primiriva Ecclesia usitatam fuisse, sese
demonstrasse putat. Atque idecirco fere
cujusvis Seculi Patres quosdam pro se
adducit (a), ac tandem in fine addit (b),
se pro confessione auriculari, uti ea in
Ecclesia obtiner nullam traditionem inve-
nire posse. Verum enim vero mirandum
plane qui id Orbi literato scribere potue-
rit, cum inter ipsos ab eo citatos Patres
haut paucos reperire sit, qui pro Confes-
sione ad habendam absolutionem etiam se-
crete facienda locuti sunt. Ac primo qui-
dem, dum citatus ab eo §pho suo 32
Origenes dicit (c): *Vide ergo, quid edocet
nos scriptura Divina, quia non oportet pecca-
tum Celare intrinsecus. . . Circumspice dili-
gentius cui debeas confiteri peccatum tuum. . .
proba prius Medicum, cui debeas causam lan-
guoris exponere. . . Si intellexerit talem esse
languorem tuum, qui in conventu totius Ec-
clesiae exponi debeat, & Curari, ex quo for-
tassis & ceteri aedificari poterunt, multa hoc
deliberatione, & satis perito Medici illius Con-
silio deliberandum est, de Confessione Sacer-
doti tanquam medico spirituali facienda
loqui-*

loquitur, ut is pro varietate delicti vel ipsem et languorem curet, vel si is ejusmodi fuerit, ut pro aliorum ædificatione eum in Conventu totius Ecclesiæ exponi expediat, id ipsum procuret. Idquod adhuc clarius patet ex aliis ejusdem partibus ab Eybelio citatis verbis (d): *est adhuc & septima, licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis peccatum suum, & non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere Medicinam.* Neque hic cum Autore dicere sufficit, hoc tantum sensu a Sacerdotibus pro animæ vulneribus medicinam quærendam esse, quatenus hi peccatori vulnerato bonum Consilium, & salutarem pro agenda sincera pœnitentia adhortationem dare possunt, id enim nedum scripturis divinis, uti in sequentibus ostendetur, adversatur, sed & absque ratione sufficiente asseritur; Etenim si hoc, cur ergo præcise de Sacerdotibus Domini fit mentio? cur ab illis tantum medicina quærenda dicitur? cur non generatim a viro prudenti? nunquid quivis vir prudens, ac Zelosus, etsi laicus, bonum Consilium dare, aliumque ad veram pœnitentiam adhortari poterit? quo denique sensu adjutorium Sacerdotis medicina dici posset, si in solis consistenter verbis?

(a) ḡpho 20. 21. seq. (b) ḡpho 60. 61. (c) Hom. II. in psal. 37. (d) Hom. II. in Levit.

§. VI.

Con-
tinu-
atio.

Quis pariter non videt citatum ab eo
§pho 29. S. Hieronymum pro confessione
similiter secreta loqui, quando dicit (a):
siquem serpens Diabolus occulte momorderit,
& nullo Conscio eum peccati veneno infecerit,
si tacuerit, qui percussus est, nec vulnus Fra-
tri, vel Magistro voluerit confiteri, Magister
(Spiritualis) qui linguam habet ad Curan-
dum, facile ei prodesse non poterit, si enim
erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod
ignorat, medicina non curat. Evidem ve-
rum est eundem S. Patrem alio loco, ubi
in ea Christi verba: *tibi dabo claves Regni*
cælorum &c. commentat, edixisse (b):
illum locum Episcopi, & Presbyteri non in-
telligentes aliquid sibi de Phariseorum assument
supercilio, ut damnent innocentes, & solvere
se noxios arbitrentur, cum apud Deum non
Sententia sacerdotum, sed reorum vita quæra-
tur. At per hoc S. P. Episcopis, ac sacer-
dotibus facultatem solvendi simpliciter
non denegat, sed tantum vult, eos non
quoscunque ad se accedentes peccatores
pro libitu absolvere, aut, ut Eybelii
joco utar, quosvis etiam gravissimos pec-
catores post recitatam Psaltri instar con-
tritionis formulam per 5 pater & Ave ju-
vare posse, idipsum enim sat constat ex
aliis ejusdem verbis (c): *adligat, vel solvit*
Episcopus, & Presbyter non eos, qui insontes
sunt,

sunt, vel noxii, sed (quod hic bene notandum puto) pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus fit, vel solvendus. Item ex his (d): absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi Corpus sacro ore conficiunt; . . qui & claves Regni cælorum habentes quodammodo ante diem judicij iudicant.

(a) Commentar. in Ecclesiast. C. 10. (b) Comment. in Math. C. 16. (c) lib. III. Comment. in idem Cap. (d) epist. au Heliodorum de vita solitaria.

§. VII.

Simili prorsus modo citatus ab eo Con-.
S. Basilius confessionem sacerdotibus fa-
ciendam, atque ab iis remedium peccato-
rum quærendum esse, non negat, sed tan-
tum discretionem & prudentiam in iis re-
quirit, dum dicit (a): omnino in peccatorum
confessione eadem ratio est, quæ etiam in aper-
tione vitiorum corporis, uti igitur vicia cor-
poris nequaquam homines quibusvis temere ape-
riunt, sed iis tantum qui rationem, qua ea
Curanda sint, teneant, eodem modo etiam pec-
catorum Confessio fieri debet apud eos, qui ea
possint Curare. Hos autem esse Sacerdotes
exponit dicens (b) necessario iis peccata ape-
ri debent, quibus credita est dispensatio My-
ste-

steriorum Dei. Quod si quis adhuc aliud ejusdem testimonium expostulet, ecce aliud adhuc clarissimum, & luculentius (c) adulterio pollutas mulieres & confitentes ob pietatem, vel quomodo cuncte convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis Causam praebeamus. Hic omnes confessionis secretæ adversarios appellatio, ac quæro, num putent tempore S. Basilii omnes clancularias adulteras crimen suum publice confessas esse, præcipue cum juxta S. Patrem cit, ne licitum quidem fuerit Sacerdotibus publicam ejusmodi personis Confessionem permittere, ne, ut addit tam grave crimen detegeretur, & illæ oblatas ab Imperatoribus christianis leges in mortis discrimen pervenirent, uti & observat Theodorus Balsamon in expositione citati canonis. Multo interim clarissimus pro re nostra loquitur non minoris sanctitatis, ac doctrinæ frater ejusdem S. Greg. Nyssenus, qui scribens de iis, Episcopis, qui durius, & acerbius alios judicabant, dicebat: nunc autem, qui acerbiores se peccatoribus praestant eos ad se accedentes propellunt, supplices, prostratosque fugiunt &c ubi postquam tales increpaverat in fine pro Pecatore subdidit: afflictionis participem, & Socium sume sacerdotem ut Patrem . . . audacter ostende illi, quæ sunt recondita animi arcana tanquam occulta vulnera . . . ipse & bono-

honoris, & valetudinis tue rationem habebit.

(a) in reg. brevior. Resp. ad interr. 229.

(b) in Respons. ad quæst. 288. (c) epist. Canon. ad Amphilochium Can. 34.

§. VIII.

Ut vero adhuc magis pateat confessio- Con-
nem secretam antiquorum Patrum autho- tinu-
ritate niti, audiatur S. Ephrem dicens (a): atio-
siquis suas tibi enarraverit cogitationes, sua-
que detexerit errata, ne mente eum contempse-
ris, . . sed potius de fratribus conversione mirare,
nam quod quis sponte sua peccata spiritualibus
viris prodit, correctionis vitæ signum est.
Quoniam vero & hæc fortassis de solo con-
silio capiendo ab adversariis intelliguntur,
juvat hic addere apertum quoddam & val-
de notabile exemplum, quod pro Seculo
IV habemus in Magno Mediolanensium
Antistite D. Ambr. de quo S. Paulinus
ejusdem discipulus sic scribit (b): quo-
tiescumque illi aliquis ob percipiendam pæniten-
tiam lapsus suos confessus esset, sic flebat, ut
& ipsum flere compelleret . . Causas autem
criminum, quas illi confitebantur, nulli, nisi
Domino soli, apud quem intercedebat, loque-
batur, bonum relinquentes exemplum posteris
sacerdotibus, ut intercessores apud Deum ma-
gis sint, quam accusatores apud homines. Duo
hic

hic habemus exemplum Magistri, & Sententiam discipuli, primus indubitatum pro confessione sibi secrete facta dat testimonium, alter pro ritus istius observatione dat adplausum dicens *bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus ut &c* Quod si vero quisquam hic existimet S. Ambrosium solummodo suis pœnitentibus intercessorem apud Deum extitisse, quin illis absolutionis beneficium largiretur, audiat is alia ejusdem adversus Novatianos verba (c): *cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet? in baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est, nec interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes sibi vendicent, unum in utroque ministerium est.*

(a) Serm. ascet. in illud: *attende tibi ipsi* C. 9.

(b) in ejusdem Biographia. (c) lib. I. de pœnit. C. 7,

§. IX.

His nunc omnibus superaddi adhuc poterit authenticum, & apertum testimonium Victoris vitensis, qui in aureo suo opusculo de persecutione Wandalica libro 2. enarrat, qualiter Seculo V. Confessores Presbyteros (inter quos ipsem fuit) ad carceres pergentes populus fidelis ex montibus, ac latebris erumpens lacrymabili: voce

voce acclamaverit: quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pænitentiae munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis solaturi, quia vobis dictum est: quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Quid amabo! ultra requiri posset? adest testis ex auditu, auditur vox populi fidelis ad generalia Christi verba: quæcunque solveritis: adpellantis. Nec etiam plus hic probandum est, quam fideles adsignatis Christi verbis confisos in primitiva etiam Ecclesia sua peccata Episcopis, vel sacerdotibus revelasse, atque ab iis eorundem remissionem postulasse. Etsi igitur negari haut possit, in tribus, vel etiam quatuor primis Seculis plures Sedes Confessionales ad ritum modernum in templis erectas non extitisse, item Religiosos diversorum Ordinum confessarios illis temporibus defuisse, male tamen contra Logicæ regulas procederet, qui hoc modo ratiocinari vellent: in primis Ecclesiæ seculis non fuerunt Sedes Confessionales in Ecclesiis, ergo tunc nulla fuit Confessio Sacramentalis. Item ab initio non erant confessarii ex diversis Ordinibus Religiosis, ergo fideles sua peccata confiteri non poterant; verum enim vero siquidem hoc modo ratiocinari liceret, hæc pariter sub-

subsisteret ratiocinatio: in primordiis nascentis Ecclesiæ scamna Communicantium in templis erecta non erant, ergo tunc fideles salutari Eucharistiæ Sacramento non sunt refecti. Item Apostoli in Die coenæ non receperunt S. Communionem in aliqua Ecclesia, vel sub ipsis Missarum solemnitiis, ergo & jam nunc id fieri non debet. Verum aberrationem Eybelii argumenta adhuc alia, uti & testimonia S. S. P. P. numero plura per decursum manifestabunt.

Articulus IV.

Usitata in Ecclesia per multæ etiam Secula Confessio publica aliam Secretam non exclusit.

§. X.

Non sane absque ratione sufficiente dicit Eybel insulsum, ac pro homine eruditio ridiculum esse, ipsam Confessionis auricularis, uti hæc apud nos Catholicos obtinet, originem jam a tempore Protoparentum nostrorum, aut a facto Caini iniquitatem suam Deo cōfidentis deducere, fateor quoque ex his exemplis, uti & ex illis Davidis verbis: *peccavi Domino plus erui non posse, quam quod Em. Card. Bel.*

Bellarminus, & cum eo alii Theologi intendunt, scilicet Deum fere semper a peccatoribus aliquam proprii delicti Confessionem exegisse, non enim Nathan Prophetam Davidis confessarium regium facio, quia non hunc Davidis, sed solos Apostolos, eorumque legitimos successores Episcopos, ac Sacerdotes fidelium peccata remittendi potestatem in L. N. a Christo accepisse assero, uti in sequentibus ostendam. Hanc vero potestatem in primis etiam Seculis ab Episcopis, & Sacerdotibus sœpius etiam Secreto, sive pro Casu, quo peccata ipsis tanquam medicis spiritualibus exponebantur, fuisse exercitam, ipsum hoc est, quod aliqui hodiecum vel cum Novatoribus aperre impugnant, vel cum Eybelio per cuniculos, & quasi elonginquo impugnare Conantur. Atque idcirco ajunt, id nec ex eo, quod legimus in actis Apostolorum (a): *multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos*, nec ex iis Apostoli Jacobi (b) *confitemini ergo alterutrum peccata vestra certo probari posse*. Verum si præcise verba hæc ad confessionem auricularem restringant, do id ipsis lubens, & cum Magno Estio (c) dico: *ex his scripturis probabiliter aliquid colligitur pro confessione Sacerdotibus facienda, quæ tamen a plerisque non minus forte probabiliter in aliud sensum accipiunt*.

piuntur. Non desunt tamen alia antiquitatis fundamenta confessionis etiam Secretæ usum indicantia, & enim non obscurum pro ea est testimonium illud, quod legimus in constitutionibus sic dictis Apostolicis (d) ubi Autor illarum inter alia, quæ fideles a Sacerdotibus recipiunt, enumerat absolutionem a peccatis: *vobisque peccata remiserunt.* Et licet has nec Apostolorum foetum esse, nec S. Clementi P. adscribendas, Criticis nunc indubitatum sit, eas tamen ob venerandam antiquitatem magno historicis in pretio esse, & saltem pro restanda veteri disciplina usu venire posse, hic tantum contendeo. Magnam quoque præ se fert antiquitatem epistola quædam græcis scripta literis, quam modo Sec. IV latinam fecit Ruffinus, quæque sub nomine S. Jacobi circum fertur, quisquis enim illius autor sit, ex ea notari merentur sequentia: *quod si forte in alicujus Cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irreperserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest, quo possit fieri integra, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad æternæ vitæ præmia pervenire.*

(a) Cap. XIX. v. 18. 19. (b) Cap. V. v. 16.
(c) Lib. IV. Sent. (d) lib. II. Cap. 33.

§. XI.

Quoniam vero ipsa hæc verba fortassis ab adversariis de confessione publice facienda intelliguntur, juvat alia antiquitatis testimonia hic adducere. Audiatur igitur antiquissimus Tertullianus, qui priusquam ad Montani ineptias deflecret, in hæc verba prorupit (a): *tantum relaxat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat... hic actus (pœnitentiæ) qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, quo delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, Confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Ut autem pateat eum hic loqui de Confessione Domino non immediate facienda, sed mediantibus iis, qui Dei vices sustinent, audiri omnino merentur ea, quæ statim subdit: *mandatur ingemiscere, lacrymari ad Dominum... & Presbyteris advolvi, & Caris Dei adgeniculari.* Item ea quæ habet capite sequenti (b) *Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet siquid humane notitiae subduxerimus, proinde & Deum celabimus?... an melius est damnatum latere, quam palam absolvī?* loquitur itaque Tertullianus de illa peccatorum Confessione, quæ pudorem causat, quæ non est humanæ notitiae subducenda, & quæ ni-

fiat periculum damnationis incurritur, & de quā Origenes unus pariter ex antiquissimis Patribus dicit (c): *si autem sui accusator fiat (peccator) dum accusat semetipsum & Confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam.*

(a) lib. de pœnit. Cap. 9. (b) loc. cit. Cap. 10. (c) Hom. 2. in Psal. 37 ad illud: *iniquitatem meam ego cognosco.* Ubi postquam monuit peccatum occultatum vehementer nocere posse, ea subdidit.

§. XII.

Con-
inu-
tio- Ne vero & hæc tam aperta testimonia eludantur, aliud adhuc audiatur testimonium S. Athanasii (a): *Si nondum soluta sunt vincula tua trade te ipsum Discipulis Jesu, adsunt enim, qui nos solvant accepta ea a salvatore potestate: quodcumque solveritis &c.* Ex his enimvero sat abunde pater Seculo IV. Sacerdotibus tunc magis numerosis, qui certe non omnes excipiendis confessionibus publicis præpositi fuere, tanquam Discipulis Jesu confessiones factas, & fideles ab iis potestate, ut S. Pater dicit, a salvatore accepta a peccatis solutos esse. Quapropter hic iterum adversarios omnes adpello, ac quæro, an non videant, quam alienum a veritate sit id, quod D. Eybel in fine Syphi 16. sub Lit. f asse-

afferit, videlicet in Veterum Patrum scriptis non occurrere mentionem absolutionis, etenim solvere vincula peccatorum, & a peccatis absolvere unum, idemque esse, quivis idiomatis latini vel obitergnarus, ne dicam vir eruditus facile fatebitur. Quid? quod dum idem Eybel spho eodem dicit, eos, qui occulte peccaverant, privatim per Sacerdotes fuisse reconciliatos, quæro, qualis fuit illa privata reconciliatio? per quid a publica, sive solemini in cætum fidelium receptione fuit distincta? qualem habuit effectum, si scilicet pœnitentes præter hoc, quod reciperentur, insuper a peccatis suis absoluti non fuerint? qualiter intelligenda erunt illa S. Hilarii verba (b): *quos in terra ligaverint (Ecclesiæ claves) id est peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, Confessione videlicet venie receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione Sententiæ in Cælis quoque aut soluti sunt, aut ligati.*

(a) Serm. in illa verba: *invenietis nullum alligatum solventes adducite mihi.* N. 7. (b) in Cap. 18. Math.

§. XIII.

Verum ut ad intentum nostrum redeamus, ipsum splendidissimum Seculi V lumen S. Joan. Chrisost. usque adeo voca-

B 2 bulum

bulum Secretæ Confessionis adhibet, dum dicit (a): *nullus infamiae timor est, & simplici, ac nuda, eaque Secreta peccatorum Confessione Salus illico acquiritur.* Jure proin merito eodem jam Seculo S. Leo Magnus increpavit Episcopos campaniæ, qui promiscue peccatores Secreto confitentes ad publicam dein Confessionem faciendam adstringebant, scribens illis non sine gravi increpatione his verbis (b): *removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pænitentiæ remedii arceantur, dum aut erubescunt, aut metuant inimicis suis sua facta referari, quibus possent legum consuetudine percelli...* Ubi & bene notanda venit hæc, quam statim adducit, ejusdem ratio: *sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offeretur, tum etiam Sacerdoti, tum enim demum plures ad pænitentiam poterunt revocari, si populi auribus non publicetur conscientia consentis.* Utinam ista legisset ante aliquot annos D. Eybel! At non mirum, hæc eum non legisse, quia in Pertschio, cuius Copistam eum fuisse ipso, quo eum legerunt, momento, notarunt eruditii D. D. Censores Coburgenses (c), minime leguntur.

(a) Hom. XXI. ad popul. Antioch. (b) in epist. 136. (c) Litteratur des Katholischen Deutschland, 5 Band. 1 Stück. 1784.

Articulus V.

*Pœnitentia pariter publica alias secretas seu
privatas Satisfactiones intuitu confessionis pri-
vatæ injunctas non exclusit.*

§. XIV.

Pœnitentiam publicam, quam aliqui cum Sirmondo (a), & Ducangio (b) solum pro expiandis criminibus, & delictis publicis impositam volunt, quam vero alii, qui cum Morino (c), & Albaspinæo (d) quandoque etiam peccata occulta, aut sponte, aut ex judicio Ecclesiæ per eam emendata esse arbitrantur, generali expressione eam dicunt, quæ agebatur olim in conspectu populi, & in Ecclesiæ Conventu, publicam inquam hanc pœnitentiam ipsa quasi Apostolica tempora æquare, nedum ex noto illo exemplo Corinthii incestuosi, qui ab Apostolo Paulo post peractam fere per annum pœnitentiam ad Ecclesiæ Communionem receptus est, sed & ex eo satis constat, quod ex Clemente Alex. de famoso quodam latronum duce a S. Joanne ad pœnitentiam adducto narrat Eusebius (e). Verum non eundem semper in ea rigorem servatum esse, nec ritum semper fuisse eundem adeo certum est, ut parum in historia sacra versatus censeri mereatur is, qui id ignoreret. Sa-

ne

ne ad hōc, quod pœnitentes per plures annos in diversis stationibus permanere deberent, ac variis expiationum generibus exercearentur, infelix cum Montanistarum, tum Novatianorum error non parum contulit; Hi nimirum nimiam in recipiendo ad pacem gravioribus peccatoribus facilitatem Ecclesiæ exprobrando augendæ paulatim severitati occasionem præbuere; ita, quidem ut ante scisma Novatianum vix ullum definiti alicujus pro exercenda publica pœnitentia temporis Vestigium adpareat. Atque hinc est, quod S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsaren sis A. 265 defunctus primus omnium legatur, qui 4 pœnitentiæ graduum mentionem facit (f).

(a) in hist. pœnit. publ. cap. 2. & 3. (b) Tom. 3. pag. 323. (c) lib. V. cap. 9. (d) in Can. 32. Conc. III Carthag. (e) lib. III. hist. cap. 23. (f) in epist. Canon. Can. II. Nec hic obstat, quod Morinus Canonem hunc inter spurios recenseat, nam etsi effet, per hoc tamen afflentioni nostræ nihil detraheretur, eoquod etiam in aliis epistolæ partibus gradus illos Commemoret.

§. XV.

Con-
tinu-
atio. Verum ut Seculo III. penitentia publica tam solemnis, quam non solemnis frequens evaserit, non tamen ita Communis

munis fuit, ut omnis pœnitentia privata,
seu satisfactio a Sacerdotibus imposta,
& a confitentibus clam implenda penitus
cessaret; constat enim primo ex historia
S. Clericos in Majoribus Ordinibus con-
stitutos saltim a fine hujus Seculi a pœni-
tentiis publicis immunes fuisse; siquidem
S. Leo M. ad Rusticum Narbonensem
hunc in modum scripsit (a): *alienum est a*
consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presby-
terali honore, aut Diaconii gradu fuerint con-
secrati, ii pro crimine aliquo suo per manuum
impositionem remedium accipient pœnitendi;
quod sine dubio ex Apostolica traditione descen-
dit, secundum, quod scriptum est: Sacerdos
si peccaverit, quis orabit pro eo? ac dein pro
Sententia nostra subjunxit: Unde hujus-
modi lapsis ad promerendam misericordiam
Dei Privata est expetenda secessio, ubi illis sa-
tisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.
Quod ipsum ex Constitutionibus Conci-
lliorum puta Carthag. V. A. 401. Can. 11.
Agath A. 506. Can. 50. Tolet. IV. A. 633.
Cap. 29. aliisque magis Confirmatur.
Imo si ipsi Eybelio fides habenda, in pri-
mis Seculis pro peccatis occultis non
coakte, sed spontaneo ab aliquibus pœni-
tentia publica suscipiebatur, & in Casu,
quo periculum videbatur, ne ipsius pec-
catoris honor læderetur, (qui casus nunc
certo vix unquam aberit) privatæ tan-
tum-

tummodo imponebantur pœnitentiæ (b).

(a) epist. XCI. Cap. 2. (b) Eybel & pho 16.

§. XVI.

Con-
tinu-
atio- Quid? quod ipso illo Seculo III. quo
solemnis pœnitentia invaluit, S. Cyprianus Episcopus Carth. scripsit (a): *confiteantur Singuli quæso fratres dilectissimi delictum suum*, dum adhuc qui deliquit in Seculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum *Satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Deum grata est*. Et profecto S. Patrem hic non de publica, sed privata satisfactione locutum fuisse, indubium est, si quidein non simplicium Sacerdotum, sed Episcoporum duntaxat, aut certorum ad id specialiter depuratorum Presbyterorum pœnitentiariorum officium tum temporis fuit, confessiones publicas excipere, & etiam solemnies pro peccatis gravioribus Pœnitentias publicas imponere uti ex decretis diversorum Conciliorum videlicet Carth. II. Can. 3. item III Cap. 31. Agath. Can. 44. &c. abunde constat. Demum non leve est illud pro assertione Catholica fundamentum, quod habemus ex eodem S. Cyp. quando nimirum illos, qui ipsas usque adeo pravas animi sui cogitationes

Sa-

Sacerdotibus fideliter manifestabant, ut salutarem ab iis medelam obtinerent, laudans dixit (b): *quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui, quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes exomologes in conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, & salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* Ex his enim, & supra citatis: *Confiteantur Singuli &c. nedum patet usus confessionis Secretæ, sed &, quod hæc, & satisfactio privata a Sacerdotibus imposita modo tunc habita fuerit Salutaris pro peccatis medela.*

(a) lib. de lapfis edit. oxoniens. 85. 96.

(b) ibidem.

Articulus VI.

Confessio Sacramentalis etiam in Ecclesia Græca semper fuit usitata.

§. XVII.

Confessionis Sacramentalis usum etiam apud Græcos semper viguisse, nedum ex libris a Patribus Græcis cum dogmaticis, tum historicis exaratis, sed & ex

Ca-

Canonibus Conciliorum, Euchologiis,
& antiquis libris pœnitentialibus vel levi-
ter in historia versatus demonstrare pote-
rit. Etenim primo, quod Patres attinet,
Profecto dum Magnus ille inter Græcos
Joan. Chrysostomus ait (a): *Pastori multa
opus est prudentia, ac sexcentis oculis, ut un-
dique animæ statum circumspiciat, & dein
addit non esse proferendam ab eo Senten-
tiā, nisi prius omnibus prudenter exploratis,
quid quæso, explorari vult, nisi infausta
animæ Vulnera sive peccata? & dum in
oratione de muliere Samaritana circa finem
subjectos sibi fideles ad imitationem ad-
hortatur dicens: initemur & nos mulierem
hanc, & ob propria peccata non erubescamus,
qui enim homini (Sacerdoti) peccata detegere
erubescit, Deo vero cernente facere non erubes-
cit, neque Confiteri vult, & pœnitentiam
agere, in die illa (Judicii) non coram uno;
sed universo terrarum orbe spectante traducetur.*
Utinam hic adversarii probe notarent duo
hæc verba: *Coram uno!* cernerent utique
S. Patrem de sola Confessione Secreta Sa-
cerdoti tanquam judici a Deo constituto
loqui voluisse, id quod tamen aperte ma-
gis legere est in his ejusdem verbis (b)
*Corporis lepram purgare, imo potius nullaten-
nus purgare, Sed purgatos probare tantum,
judeorum Sacerdotibus licebat, hi vero (N. T.
Sacerdotes) non lepram Corporis, sed im-*
mun-

*munditiem animæ non purgatam probandi,
sed potius purgandi potestatem acceperunt.*

(a) lib. II, de Sacerdotio. (b) lib. III, ad eod.

§. XVIII.

Quodsi his addatur decretum Synodi ^{Con-}
^{tinu-}
^{atio,} Trullanæ de A. 692, quo de Sacerdotibus Ecclesiæ Græcæ ita statutum est (a): oportet autem eos, qui solvendi, & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit, ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem adferre medicinam. Item verba Joannis jejunatoris in Eutychii Patriarchæ CPrani locum A. 586 sufficti, qui in suo libello pœnitentiali a Morino edito in calce Commentarii de administratione Sacramenti Pœnitentiæ Sacerdotem sic loquentem inducit: *spiritualis fili! ego Confessionem tuam primario, & præcipue non recipio, sed per me Deus. . . Revela igitur & declara coram Sanctis Angelis, nihilque me cela eorum, quæ a te clam facta sunt, velut si Deo occulta Cordium cognoscenti confitereris.* Ac denique ea, quæ referunt Arcudius (b) & Goarius (c), juxta quos in Ecclesia Græca Sacerdotes illorum temporibus pœnitentem sic alloquebantur: *ne quæso eru-
bescas, non enim mibi peccata enuncias, sed
Deo,*

Deo, apud quem Confistis, sane rudis esset,
qui non videret, dudum in Ecclesia Græ-
ca moris fuisse, Sacerdoti loco Dei sedenti
peccata enunciare. Quod ipsum luce cla-
rius patet ex aperto quodam facto in quo-
dam serapione, qui in persecutione lapsus
fuerat, is enim teste Eusebio (d) jam gra-
viter decumbens, mortique proximus ad-
vocari ad se jussit unum ex Presbyteris,
ut ab eo absolutionis beneficium reciperet.
Verba autem ægrotantis, uti ea ab Autore
referuntur, sunt isthæc: properate quæso,
& me quantocius absolvite . . . accersere mihi
unum ex Presbyteris.

(a) Can. 102. (b) lib. IV. concord. (c) in
Eucholog. (d) lib. VI hist. Cap. 44.

§. XIX.

Con-
tinu-
atio.

Neque hic nobis obstat celebre illud
 factum Nectarii Patriarchæ Cptani, quod
 ad longum refert Socrates juxta editionem
 Valesii (a). Nam *primo* ablato per Necta-
 rium Presbytero Pœnitentiario ipsam si-
 mul Confessionem Sacramentalem ablata
 non esse, brevi hoc ratiocinio ostendi pos-
 set; quis tam brevis ingenioli est, ut cre-
 dere possit, in urbe omnium facile tum
 temporis populosissima unum duntaxat
 Sacerdotem excipiendo fidelium omnium

Con-

Confessionibus sufficere potuisse? Secun-
do præter Pœnitentiarium fuisse Presby-
teros alios, qui secretas audirent Confes-
siones, nedum ex allato in serapione exem-
pto ostendit Eusebius citatus, sed & ipse
Nectarii Successor D. Chrysost. nos edo-
cet, dum Sacerdotibus, qui peccata re-
mittunt, *djudicandum esse inter lepram &*
lepram dixit (b). Porro usum Confessio-
nis Sacramentalis etiam diu post apud
Græcos continuasse, ostendunt eorum Eu-
chologia puta illud, quod Jacobus Go-
rius ordinis Prædicatorum, qui in Insula
Chio multis annis commoratus est, latini-
tate donatum Parisiis imprimi curavit
A. 1647, in hoc enim facultas audiendi
confessiones cuidam Monacho his verbis
data describitur: *humilitas nostra tibi in Mo-*
nachis Sacerdoti Mathæo spiritualis paterni-
tatis ministerium confert, unde & rationes,
& actæ, variosque pro confessione ad te acce-
dentium casu excipere, & juxta cuiusvis vi-
res, peccatorumque discriminem pœnitentiam &
omnium salutem teneris administrare; ligabis
enim, quæ ligari oportet, & solves, quod sol-
vi necesse est. Item aliud Leonis Allatii,
in quo eadem facultas Monachis Græcis
similibus verbis a Germano Amathuntis
Episcopo data legi poterit.

(a) lib. V. hist. cap. 19. (b) lib. 2 & 3.

§. XX.

Con-
tinu-
atio.

Pro majori interim horum omnium confirmatione adhuc notanda venit responso Jeremiæ Patriarchæ Cptani, qui dum Protestantes Wittenbergenses tempore sic dictæ reformationis Sec. XVI. Confessionem Augustanam per Demetrium misissent in Orientem, ut Græcos ad sua castra pertraherent, lecto illo titulo, in quo Confessionis auricularis utilitas docebatur quidem, ejustamen necessitas negabatur, sic iisdem reposuit: *necessarium est iis, quibus æconomia Mysteriorum Dei concredita est, confiteri peccata, ita enim, qui antiquis temporibus pœnitentiam egerunt, apud sanctos fecisse inveniuntur.* His accedunt Concilia sub Cyrillo Berrhoensi, ejusque in Patriarchatu Successore Parthenio priori adhuc Seculo adversus errores Cyrilli Lucaris constantinopoli celebrata. Quodsi igitur usus Confessionis hisce fortasse temporibus alicubi apud Græcos adeo frequens amplius non sit, ac apud Latinos, id partim turpi Græcorum Sacerdotum avaritiae, partim Severiori illorum disciplinae in imponendis satisfactionibus adscribendum esse, notant eruditii. Conferri de super merentur Clar. Josephus Biner (a). Item Petrus Arcudius Corcyraeus (b). Illud tamen pro coronide adhuc notandum, quod nempe in usitato etiam nunc apud

græ-

græcos Euchologio Sacerdoti celebraturo
præcipiatur, ut non ante ad Altare acce-
dat, quam peccatorum, quorum sibi con-
scius est, Confessionem emiserit.

(a) in apparatu eruditionis parte XII. lib. I.
Cap. 12. (b) lib. IV. de Concord. cap. 2.

Articulus VII.

*Sententia Catholica de Confessione Sacra-
mentali a Christo instituta, ejusque necessitate pro
Casu, quo quis post baptismum in gravia lap-
sus eam facere potest, non levibus N. T. fun-
damentis nititur.*

§. XXI.

Christus Jesus, mediator ille Deum
inter, & homines, ut salutare quoddam
pro peccatis remedium institutæ a se Ec-
clesiæ relinqueret, id quod soli Petro an-
te dixerat (a): *tibi dabo claves regni cælo-
rum, & quocunque ligaveris super terram,
erit ligatum & in cælis, & quocunque solve-
ris super terram, erit solutum & in cælis,*
expost pro eo repetiit, imo non pro eo
tantum, sed & pro omnibus aliis Aposto-
lis dicens (b): *Amen dico vobis, quæcunque
ligaveritis super terram, erunt ligata & in
cælo. Imo subjunxit (c): sicut misit me Pa-
ter, & ego mitto vos . . . accipite Spiritum si*
quo-

quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,
& quorum retinueritis, retenta sunt. Dedit
proin Apostolis potestatem fidelium pec-
cata remittendi, & retinendi, constituit
quoque eosdem judices, qui pro foro con-
scientiae de illorum actis judicarent, ac de-
nique ordinavit eos medicos animarum,
qui opportunam animae vulneribus medi-
cinam adhiberent, uti & ex jam citatis
hinc inde Patribus aperto liquet, jam
vero si sapientissimus ille Ecclesiæ Rector
Apostolos suos, & eo quod hi morte pro-
hiberentur permanere, eorum quoque
Successores Episcopos, ac Sacerdotes con-
stituit animarum medicos, voluit quoque,
ut ipsis fidelium peccata, occulta haec ani-
mæ vulnera detegantur, ne alioquin po-
testas ea curandi frustranea foret, ac plane
inutilis, si ordinavit eosdem fidelium ju-
dices, voluit pariter, ut iidem illorum
causas cognoscerent, ac proin etiam vo-
luit, ut haec ad ipsos deferantur, quid enim
amabo! quid judicabit judex forensis
(idem est quoad judicem in foro conscienc-
iae) si nulla ad eum Causa deferatur?
quomodo servato juris ordine innocentem
absolvet, nocentem vero condemnabit,
si nulla utriusque acta discusserit? deni-
que si duplice illis dederit potestatem,
remittendi, & retinendi, voluit insuper,
ut pro diversis circumstantiis quædam pec-
cata

cata remittant, quædam vero retineant, ac proin etiam voluit, ut peccata ipsis etiam in specie, & secundum suam diversitatem exponantur, ne alias remittantur, quæ retinenda, aut contra retineantur, quæ remittenda sunt. Jure proin merito Patres Tridentini edixerunt (d): *constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita Causæ exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat & non potius in specie, ac sigillatim (pœnitentes) sua ipsi peccata declarassent.* Aptè quoque ad hanc rem ratiocinatus fuit Alcuinus omnium ætatis suæ doctissimus dicens (e): *quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt ægroti.*

- (a) Matth. 16. (b) ibid. Cap. 18. (c) Joan. 20.
(d) Sess. XIV. Cap. 5. (e) epist. 71.

§. XXII.

Neque hic sufficit dicere, Sacerdotes quidem esse positos judices, sed voluntarios, quos nimirum accedere possit, ^{Con-}
quisquis voluerit, id enim si admittere-^{tina-}
tur, sequeretur iterum claves Apostolis,

C

eorum-

corumque successoribus frustra datus esse,
ad quid enim clavibus opus est, si ostium
sit apertum? quid amabo! proderit Mi-
nistris Ecclesiæ data illis potestas januas
Regni cœlorum claudendi, si peccatoribus
aliunde facilior maneat introitus? quis
denique ægrotus Medicum ulterius quæ-
ret, si is semetipsum facile sanare posset?
verum his omnibus inattentis quæro, si
Christus Dominus ita confessionem libe-
ram, ac voluntariam reliquisset, ut pec-
catores ut ut gravibus etiam peccatis ob-
noxii eam pro lubitu vel facere, vel omit-
tere possent, qua quæso! ratione sufficien-
te Sancti Patres communiter omnes illos,
qui dum eam facere possunt, eandem in
ipso etiam vitæ periculo adhuc negligunt
salutis suæ incurios arguere potuissent?
quo fundamento Tertullianus dicere po-
tuisset (a): *plerisque hoc opus (pœnitentia)*
ut publicationem sui aut suffugere, aut de die
in diem differre præsumo pudoris magis memo-
res, quam salutis, velut illi, qui in partibus
verecundioribus corporis contracta vexatione
conscientiam medentium vitant, & ita cum
erubescientia sua pereunt? quam inepte deni-
que, imo quam temerarie de supra cita-
tis Christi verbis: quorum remiseritis &c.
ratiocinatus fuisset Petrus Lombardus Ma-
gister sententiarum dictus, quando dixit
(b):

(b): *sex his, aliisque plurimis indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, & dein Sacerdoti offerri Confessionem, nec aliter posse perveniri ad Ingressum Paradisi, si adsit facultas?* Quid? quod quam vana essent illa concilii Trid. verba (c): *siquis negaverit ad integrum, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente . . . videlicet contritionem, confessionem, satisfactionem, anathema sit?*

(a) lib. de pœnit. Cap. 10. (b) lib. 4. dist. 47.

(c) Sess. XIV. Can. 4.

§. XXIII.

Sat demonstrata ex his videtur salutaris illa Confessionis Sacramentalis institutio, ac Origo ab ipso Christo derivanda, ratiocinari tamen ulterius juvat, atque ideo adhuc subjungo: quandoquidem Confessio Sacramentalis, & quidem distincta singulorum peccatorum mortalium, quorum post examen memoria occurrit, in se onus permolestum, ac etiam grave videri saltem potuisset, qui fieri potuisset, ut a tam longo jam tempore usque ad nos viri Principes ac Magnates tam Seculares, quam Ecclesiastici, item alii viri literati,

ac supra vulgus sapientes onus hoc proin adeo ac lubentes in se suscepissent, si non ex tam perspicuis Jesu Christi verbis supra citatis aliquam necessitatem eruissent? hoc enim modo jam dudum ratiocinatus fuit ipsemet in historia notus Henricus VIII. Angliæ Rex, de quo eruditus P. Voit pag. 358 conclusione 1. sequentia adducit formalia: *si humana ea lex fuisset* (de Confessione auriculari) *five acceptata ea nunquam fuisset, aut aliquando in ea fuisset dispensatum cum viris Principibus.*

§. XXIV.

Con-
mu-
atio.

Quid? quod aliud adhuc adduci hic poterit ratiocinium ab ipsa experientia deductum; quis quæso prudens persuadere sibi poterit, quod, si Ecclesia onus hoc occulta sua delicta alteri confitendi, aliquando pro mero lubitu fidelium humeris imposuisset, id factum fuisset sine litibus, ac querelis, sine exortis turbis, cum experientia teste similia vix unquam desint, si novi ritus permolesti, ac graves introducuntur? quocirca cum altum sit apud historicos omnes cum sacros, tum profanos de ejusmodi litibus, querelis, ac turbis silentium, cumque insuper adversarii, qui-

quicunque ii sint, nec tempus, nec occasionem factæ institutionis adsignare, aut Concilium aliquod, aut Pontificem institutorem adducere possint, (quæ hic de Concilio Later. A. 1215 sub Innoc. III. P. adferunt Novatores, facile refelluntur ex ipso decreti tenore: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti . . .* divinum enim Confessionis Sacramentalis præceptum a S. Synodo supponi, tempus autem, ac modum ab ea tantummodo determinari, ex ipsis verbis patet, sequitur non Ecclesiastico jure aliquo, sed divino in ipsis Christi ad Apostolos verbis fundato obligationem Confessionis Sacramentalis in Ecclesiam introductam esse. Atque idcirco, dum in casu, ubi agitur de valore Sacramenti, & maxime, ubi æterna animalium salus pericitatur juxta omnes, ipsos usque adeo antiquos probabilistas tutiora sequi oportet, dicendum cum Magno Basilio (a): *necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei.* Nihil his superaddo, nisi communem illam, ac generalem celeberrimi Hyponensium Antistitis D. Augustini regulam (b): *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper re-*

ten-

tentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.

(a) in reg. brevior. ad quæst. 288. (b) lib. 4.
de bapt. contra Donat erit.

Articulus VIII.

Argumenta ab Eybelio in contrarium adducta abrogationem confessionis Secretæ, aut substantiam ejus immutationem esse necessariam, minime evincunt.

§. XXV.

Non levis profe^cto, ac mediocris est labor ille, quem ad impugnandam Confessionis Sacramentalis necessitatem in se suscepit Autor citati Sœpius libelli, dum eam scilicet eo, quo nunc fit modo, nec unquam factam, nec ulterius faciendam esse, cum ex S. S. P. P. aliorumque eruditorum scriptis, tum vero ex variis juris Ecclesiastici canonibus, & ipsorum adeo comitiorum decretis eruere fatigit. Verum, S. S. Patres quod attinet, complures ex illis communi potius catholicorum Sententiæ, quam ipsi favere, jam supra ostend-

ostendi, & sic de iis tantum, qui in specie, attamen appárener tantum, communiori Sententiæ contradicere videntur, hic agere sufficiet. Quapropter probe hoc loco notandum puto, frustra penitus, & incassum ab eo adduci §. 25. S. Ambrosium, quando de facto Petri modo effatus est (a): *lavant lacrymæ delictum . . . Petrus doluit, & flevit, quia erravit ut homo . . . non invenio, quid dixerit, invenio, quod fleverit.* Item S. Augustinum quando de Davide dixit (b): *dixi, quid dixisti? non jam pronunciat, sed promittit se pronunciaturum, & ille jam dimittit.* Etenim Sacmentum Pœnitentiæ tam Davide, quam Petro pœnitente nondum fuisse institutum, utique sat notum est, ac proin mala ab his factis ad modernam factæ institutionis providentiam fit argumentatio. Dein & si institutum fuisset, Deum tamen, ejusque filium Jesum Christum, qui Deus simul erat, ac homo corda hominum inspiciens sine externa illorum Confessione peccata remittere potuisse quis negaturus? Denique lacrymas cordis id est verum animi dolorem in confessione etiam Secteta plus requiri, quam verba, hanc dubitatur.

(a) in Cap. 22. Luc. (b) in Psal. 32.

§. XXVI.

Con-
tinu-
atio.

Eodem prorsus modo parum ipsum juvat, quod §. 22 adducat S. Cyprianum dicentem (a) *nemo se fallat, nemo se decipiatur, solus Dominus misereri potest . . . veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri . . . homo Deo esse major non potest, aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Domino delicto graviore commissum est.* Item §. 26 S. Chrysostomum eloquentem (b): *quoties peccaveris, peccati pœnitentia, ne que desperes . . . Deo soli dic peccatum tuum.* Nam duplici ex Causa Patres hi peccata Deo soli, & non hominibus aperienda esse, dicebant: *imo quia non publice, sed clam soli Sacerdoti Dei Ministro peccata aperire sufficit, ita, ut nullum pœnitentis opprobrium, aut detrimentum timendum sit, ob sacramentalis sigilli sanctitatem.* **2do**, quia Sacerdos non suo, sed Christi nomine hic agit, & rite dispositos absolvit; Ea autem, quæ per Dei Ministros fiunt, Deo ipsi tribuenda esse, jam Seculo IV. testatus est S. Pacianus Episcopus Barcironensis contra Novatianos dicens (c): *solus hoc inquies, Deus poterit. Verum est, sed quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est.* Nam quid est illud, quod Apostolis dicit: *quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cœlis & quæcunque solveritis in terris,*
solu-

soluta erunt in Cælis? Cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non liceat? imo ipse catus S. Chrysoft. dicit (d) homo non operatur, aut conficit Eucharistiam, quia operatur ut Minister Christi.

(a) de lapsis epist. 32. 35. (b) Hom. 60.
quæ est 9 de pœnit. (c) epist. ad Semphronium circa finem. (d) Hom. 50. in Math.

§. XXVII.

Non minus inepte cum Dallæo triumphat Eybelius in autoritate Gratiani, dum in una §pho 42 ad §. 48 ex ejus decreti parte II atio. de pœnitentia sequentia pro se adducit: utrum sola Cordis contritione, & Secreta satisfactione absque oris Confessione quisque possit Deo satisfacere . . . sunt, qui dicunt, quem libet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ, & Sacerdotali iudicio posse promoveri . . luce clarius constat, cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti hoc idem probatur autoritate illa prophetica: (in quacunque hora peccator conversus &c.) non enim dicitur: ore confessus fuerit, sed tantum conversus fuerit . . . Alii contrario testantur: dicentes sine confessione oris, & satisfactione operis neminem a peccato posse mundari, si tem-

tempus satisfaciendi habuerit . . . Quibus Autoritatibus, vel quibus rationum fundamentis utraque Sententia satisfactionis, & confessionis initatur, breviter exposuimus, cui autem barum potius adhaerendum sit, lectoris judicio asservatur, utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros. Nam imo omisis aliorum responsionibus, quorum aliqui Gratianum inconstantiae, alii vero usque adeo imperitiae argunt, Gratiano hic opponi potest Gratianus in eodem decreto dicens (a): *nemo dicat sibi, occulte ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in Corde ago . . . Ergo sine causa dictum est: (quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo)? ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ? frustramus evangelium Dei, frustramus verba Christi, si promittimus vobis, quod ille negat, nonne vos decipimus?* item alibi (b): *Dominus par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit . . . certum est, quod Ecclesiæ utrumque licet, Hæresis utrumque non licet, jus enim hoc solis permisum est sacerdotibus . . . recte igitur Ecclesia sibi vendicat, quæ veros Sacerdotes habet, Hæresis vendicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.* 2do cum Clar. Witassio hic responderi potest, Gratianum non fluctuasse circa institutionem, necessitatemque confessionis, quatenus ea in casu, quo fieri potest,

pro

pro peccatis gravioribus post baptismum commissis præcepta est, sed tantum circa hoc, num scilicet peccator confiteri intendens, per ipsam modo contritionem ante absolutionem, num vero per hanc peccatorum suorum veniam obtineat; hanc nempe quæstionem speculativam pro tunc inter Theologos controversam, prolatis utrinque momentis, definire noluit Gratianus, minime vero Confessionis Sacramentalis institutionem, ac necessitatem impugnare intendit, idquod aperto Constat ex subsequentibus ejusdem Can. 89. glossatoris verbis (c): *Certissimum est, & pro certissimo habendum, peccati mortalis necessariam esse Confessionem Sacramentalem eo modo, ac tempore quo in Conc. Trid. post alia Concilia est constitutum.*

(a) Can. 44 de sumpto ex S. Aug. Hom. 49.
in lib. 150. Homiliarum. (b) Can. 51. de-
sumpto ex D. Ambrosio. (c) in fine Can. 89.

§. XXVIII.

Haut contentus D. Eybel, quod con- *Contra doctrinam Catholicam sanctos Patres in orthodoxæ fidei defensores adferre sat- atio-*
gens fuerit, adhuc alia posuit argumenta
ad

ad ipsa usque adeo Ecclesiæ concilia adpellans; Ast iterum frustra, etenim quod concilium cabilonense A. 813 celebratum attinet; Profecto, dum ex ejus canone 33. sequentia proponit: *quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita quidem, ut & Deo, qui est remissor peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum Davide dicamus; delictum meum Cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. . . & secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra . . oleum, & operam perdit, nam primo verba illa: quod utrumque (simul in confessione Sacramentali) non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, praxin Ecclesiæ pro illo tempore ostendunt. Alia vero: secundum institutionem Apostoli traditionem Apostolicam de necessitate confessionis alterutrum id est homini ab homine facienda a Patribus Cabilonensibus fuisse suppositam, nobis indicant. Secundo. Ipsum hoc est, quod Ecclesia semper docuit, videlicet post factam in L. N. Sacramenti Pœnitentiæ institutionem oportere peccata primo Deo per verum cordis dolorem ac dein constitutis ab eo judicibus confiteri, & hoc ipsum & non aliudquid Patres hos inten-*

intendisse aperto liquet ex canone præcedente ab Eybelio ex causa ipsi utique cognita omisso, in quo sic statuerunt: *gravi abusui occurendum est . . . nonnulli non omnia peccata Presbyteris, quibus confitentur, declarant, at quoniam homo ex corpore, & animo constat, confiteatur quisque, necesse est peccata, quibus corpus instrumento fuit, & quæ cogitatione tantum perpetrata sunt.* Ecce! quomodo incautus ille ab iis ipsis, quos sibi favere putat, vapulat!! — Accedit, quod iidem Patres, quando Canone 46. de discretione adhibenda in receptione Eucharistiae pertractabant, mentionem pariter fecerint purificationis animæ, quo certe nomine confessionem indigitare volebant.

§. XXIX.

Hoc tamen profecto summopere mirum, quod usque adeo persuadere sibi potuerit, Sacrosanctum Trid. conc. quidquam in sui causam decidisse, dum super ejusdem decretum (a) quo anathema dicitur ei, qui dixerit, modum secrete confitendi Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse huma-

Con-
tinu-
atio.

humanum, ex Clar. van Espen adduxit sequentia (b): quæ hoc capite Synodus pro adstruenda necessitate confessionis adducit, ostendunt, quod finis confessionis omnium peccatorum sacerdoti faciendæ non sit sola, & nuda confessio, sive revelatio peccatorum, sed remediiorum morbis spiritualibus convenientium applicatio, quibus anima curationi disponatur, & disposita per reconciliationem perfecte sanetur, atque per consequens omnia in confessione esse exponenda, per quæ ipse Sacerdos, tanquam medicus spiritualis veniat in convenientem notitiam vulnerum animæ, possitque convenientia medendi vulneribus pharmaca præscribere, & applicare. Nam imo Celeberrimus Canonista citatus pœnitentiam dividens in publicam, & privatam, ultimam ex Hosteni modo definit (c): privata autem pœnitentia dicitur illa, quæ quotidie fit a Justis, & quæ saltim semel in anno est facienda, quando scilicet aliquis solus, & secrete sacerdoti confitetur. Ubi de confessione ad sensum Ecclesiæ facienda loquitur. 2do. Ipsa Ecclesia idipsum semper docuit, scilicet minime sufficere nudam, & solam peccatorum revelationem, sed insuper requiri veram illorum detestationem, & remediiorum contra illa applicationem. Ad denique 3to ex variis illis, ac diversis Conciliorum decretis, & partim statutis, partim

partim confirmatis canonibus pœnitentia-
libus, præcipue vero ex illo citati Tri-
dentini decreto (d): debent ergo Sacerdotes
Domini, quantum spiritus, & prudentia sug-
gerit, pro qualitate criminum, & pœnitentia-
tum facultate salutares, & convenientes satis-
factiones injungere, ne, si forte peccatis con-
niveant, & indulgentius cum pœnitentibus
agant, levissima quedam opera pro gravissi-
mis delictis injungendo alienorum peccatorum
participes efficiantur, abunde pater, neque
concilium hoc, neque aliquod aliud mo-
dum sacerdotibus secrete confitendi im-
mutare voluisse, sed tantum pravam illam
praxin, qua, ut D. Eybel fortassis temere
supponit, varii ex confessariis pro nimia
sua laxitate pœnitentes quoscunque im-
posita levissima satisfactione absolvunt,
tanquam detestabilem abusum abrogare.

(a) Sess. XIV. Can. 6. (b) Parte II. Tit. VI.

(c) loc. cit. (d) Sess. XIV. Cap. VIII. de fa-
tisfactionis necessitate & fructu.

§. XXX.

Quare etsi consentire debeam erudi-
tis Berolinensibus in eo, quod dicant (a),
plura nobis hodie, longeque majora cri-
ties subsidia, quibus caruerunt prisci Ec-
clesiae

clesiæ Patres¹, ac Doctores, ad manus esse, eamque ob rem multa Crassis olim tenebris circumfusa pleniore in lumine nunc collocata existere, Eybelio tamen Vienensis consentire non possum in eo, quod dicar, confessionem secretam sive auricularēm priscis Ecclesiæ Patribus ac Doctribus fuisse incognitam, & sic eorum traditione non niti. Atque idcirco, ut vehementer etiam optarem, ut omnium illorum, qui se Christi, ejusque salutaris doctrinæ sectatores profitentur, ovile unum esset, unusque grex, uti unus pastor est, ad unionem tamen hanc obtinendam confessionem secretam, auricularem communiter dictam nec abrogandam, nec in substantia immutandam esse, iterato dico, etenim cum publica peccatorum confessio onus multo magis grave, ac molestum sit, & alia privata tantummodo ad habendum consilium facienda institutioni Christi non conveniat, cumque insuper hanc potestatēm peccata vere remittendi juxta ipsum D. Eybel (b) Apostoli ab ipso Christo acceperint per verba: *accipite scriptum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt*, ac nullus prudenter supponere possit Christum hanc facultatem institutæ a se Ecclesiæ pro illo tantum tempore, quo Apostoli corporaliter in terris

terris degerent, concedere voluisse, sequitur eandem facultatem etiam deinceps in legitimis Apostolorum successoribus remansisse & etiamnunc remanere. Quid? quod cum hanc potestatem, videlicet peccata in Sacramento Pœnitentiæ vere remittendi in Ecclesia dari, fidei dogma sit (c), & insuper constet, in fidei dogmata vere talia nihil nobis juris esse, ob solos abusus quorundam vel nimis laxorum, vel minus peritorum confessariorum Confessio Sacramentalis abrogari non debet, nec in substantia mutari. — Ceterum cum D. Eybel id pariter opto, ut omnes Confessarii graviores, & inveteratos peccatores non subito absolvant, sed omni prorsus conatu eos ad veram cordis contritionem disponere satagant, ut sic prius dispositi, ac absolutione digni salutarem Sacramenti Pœnitentiæ Divinitus instituti effectum obtineant. Preco pariter cum eo, ut Deus optimus maximus nunquam permittere velit, confessiones auriculares aut seductioni juventutis, aut damno reipublicæ, aut privatarum familiarum inservire. — Nihil hic addo, præter commune hoc, & omnibus sat notum adagium: *tollatur abusus, & maneat usus.* Quoniam vero criticis hisce temporibus nonnulli cum Eybelio in ma-

D terie

50 *Tractatus de Confes. Sacramentalis &c.*

teria Religionis etiam usum ipsum abrogare intendunt, rogo supremum Deum, velit, ut hucusque fecit, porro tueri, atque immortam, incorruptamque servare veram Christi Doctrinam, & ejusdem Ecclesiam, ut promisit, usque ad consummationem Seculi.

(a) Allgemeine deutsche Bibliothek. Berlin.
3 Band. 1 Stück. Seite 120. (b) Ehbels
Urkunden §. 1. 2. (c) Conc. Trid. Sess. XIV.
de Sacram. Poenit. Can. 3.

Appen-

A p p e n d i x

De varia veteris Ecclesiæ disciplina circa
pœnitentiam publicam.

N. 1. **Q**uandoquidem pœnitentia sump-
ta pro ritu peccata in hac vita
expiandi, ac Deo per ea offenso sa-
tisfaciendi in veteri Ecclesia a mo-
derna plane diversa fuit, non utile
minus, ac jucundum iis saltim fore
videtur, qui antiquitatis studio ope-
ram suam Theologiæ nedum Dog-
maticæ, sed & Historicæ dare, in
deliciis habent. Atque idcirco osten-
sa pœnitentiæ privatae, quæ *Confes-
sio* communiter dicitur, divina in-
stitutione, ac usu, ea, quæ ab Ec-
clesia successu temporis quoad ritum
publice satisfaciendi determinata
sunt, brevi nunc compendio refe-

runtur, ut inde aliqua eorum notitia ab iis potissimum, ad quos pertinet, videlicet confessariis sacerdotibus sumi possit.

N. 2. Notio pœnitentiaæ publicæ pro diversa Autorum circa illam Sententia diversa quoque dari solet. Ac primo quidem iis, qui cum simondo, aliisque illos tantum peccatores eidem olim obnoxios fuisse arbitrantur, quorum publica extitisse crimina canonice constaret, isthæc est: *exomologesis* sive *pœnitentia*, quæ olim per constitutus ad hoc Ecclesiæ Ministros pro excipiendis criminibus, ac delictis publicis imposta fuit. Quoniam vero, ut ostendetur, magis fundata est illorum opinio, qui adfirmant, sex primis Ecclesiæ Seculis etiam pro arcanis delictis quandoque pœnitentiam publicam impositam fuisse, eadem generali hac definitione designari poterit: *est illa, quæ agitur in Conspectu populi, & in Ecclesiæ conventu.*

N. 3. Ritum hunc publice pœnitendi antiquissimum esse, & Apostolorum tempora æquare, jam supra ostensum

sum est, eum autem Seculo II perseverasse testantur non tantum Tertullianus, qui in libro de pœnitentia ejus ordinem, laboresque depingit, sed & Iræneus, qui libro II. Cap. 9 illarum mulierum pœnitentiam commemorat, quas Hæresiarcha quidam Marcus Præstigiator fœde corrupserat. Continuationem vero, imo augmentum ejusdem pro Seculis subsequentibus in diversissimis Consiliis, eorumque canonibus videre quivis potetit.

N.4. Quodsi tamen ad eas, quæ Seculo III & sequentibus factæ sunt, Sanc-
tiones Ecclesiasticas reflectere quis
velit, observabit is, ab initio blan-
dius, postea vero, ortis nimirum
cum Montanistarum, tum Nova-
tianorum schismatibus rigide magis,
ac dure cum pœnitentibus aëtum
fuisse. Ita quidem, ut circa medium
Seculi III quatuor numerarentur
pœnitentiæ publicæ gradus, sive
stationes, quarum prima græce
πρόσκλησις, latine *Fletus* sive statio
Flentium dicebatur, in qua pœniten-
tes extra Ecclesiæ Januas in aliqua
porticu, vel etiam sub dio stabant
sac-

sacco induti, ac cinere respersi, ingredientium preces implorantes. Altera *ἀντόσις*, sive *Auditio*, in qua iidem in vestibulo Ecclesiæ seu Narræce stabant, una cum Catechumenis S. Scripturæ lectionem, ejusque expositionem audientes. Tertia *ὑπέπιωσις* sive *substratio*, in qua post dimissos audientes, alii variis pœnitentiæ operibus, præcipue crebra manuum impositione exercebantur. Ac denique quarta *τύτασις*, sive *Consistentia*, in qua ii, qui pœnitentiæ laboriosæ curriculum jam feliciter absolverant, in Ecclesia ante Cancellos unacum aliis fidelibus stare quidem poterant, ab oblationibus tamen, & S. Eucharistia excludabantur.

N. 5. Tempus interim pro singulis hisce gradibus destinatum non semper idem fuit, sed diversa ejus duratio pro diversitate seculorum, & delitorum; post Seculum tamen IV nonnihil de pristina severitate remissum est, præsertim apud Græcos, dum interim Latini serius veterem disciplinam desererent; a Seculo tamen VII loco pœnitentiæ adeo

adeo rigidæ imponi cœperunt peregrinationes, detrusio in Monasterium, erogationes pecuniae in usus pios, & invalescentibus postea *cruciatis* expeditio sacra aduersus infideles &c. Conferri desuper poterunt clar. Antonii Schmidt institutiones juris Ecclesiastici de pœnis Eccles. Cap. I. Art. II. Item Conc. claramontanum de A. 1096, quod ejusmodi expeditionem pietatis studio suscepit pro *omni pœnitentia* reputari jussit. Accedit, quod si etiam tempus jam determinatum esset, nihilominus Episcopus ex justa causa id ipsum relaxare posset, teste clar. van Espen P. 2. Tit. 6. C. 3.

N. 6. Quod vero occulta etiam crima saltim graviora non nunquam pœnitentia etiam publica fuerint punita, ex his videtur posse erui momentis. I. Synodus Ancyranæ can. 21. constituit pœnitentia publica plectendos homicidas, ac mulieres, quæ veneficiorum ope fœtus suos necassent, de occultis enim ejusmodi homicidiis loqui viderur ex eo, quod homicidia nota, ac publica non pœnitentia, sed capitali supplicio tunc puni-

punirentur. II. Ex eo, quod S. Basilius epist. ad Amphilochium C. 22 scripsit: *ei, qui mulierem vel vi, vel clam vitiatam habet, necesse est fornicationis pœnam imponere. Est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium,* patet Sec. V. *fornicationem secretam æque, ac manifestam quadrienni publica pœnitentia vindicatam esse.* III. Idem quoque patet ex aliis ejusdem ad illum verbis supra cit: *adulterio pollutas mulieres . . . publicare quidem Patres nostri prohibuerunt . . . eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Ex quibus constat occultas adulteras tunc a confessione quidem publica, non tamen ab omni pœnitentia publica, etiam *consistentium immunes fuisse.*

N. 7. Clericos tamen quod attinet, scriptores fere omnes consentire videntur, minores ex illis non secus, ac laicos olim pœnitentiæ etiam publicæ addictos fuisse, uti & constat ex epistola 7. Felicis P. in qua, postquam de majoribus clericis egerat, de minoribus subjunxit: *si nulla necessi-*

cessitate, aut timore ducti permiserint
se ab hereticis rebaptizari, 3 annis inter
Audientes sint . . . Conferri desuper
poterit Natalis Alex. Hist. Ecclesiast.
Dissert. XI. de pœnitentia clericorum.
Idem Confirmatur ex S. Isidor. Hispal.
qui lib. 2. de Ecclesiast.
officiis C. 16. hæc refert: *honorum
duntaxat dignitate servata, ita ut a sa-
cerdotibus & Levitis Deo tantum teste-
fiat (pœnitentia) a ceteris vero ad
stante coram Deo solemniter Sacerdote.*
Nec hic obstat epistola 1. Siricij P.
ad Himerium Episcopum Taracon.
in qua generaliter dixit pœnitentiam
(publicam) agere multi clericorum Con-
cedi. Nam de majoribus eum hic
locutum esse, indicare videntur ea,
quæ subinfert verba: *nulla tamen
debent gerendorum Sacramentorum in-
strumenta suscipere, qui dudum fuerint
vasa vitiorum.*

- N. 8. Clericos interim majoribus Ordini-
bus initiatos a pœnitentia publica
semper immunes fuisse adfirmat qui-
dem Tournelius de Sacram. Poenit.
Q. 8. A. 4. & cum eo aliqui alii,
atque idcirco dicunt, ejusmodi cle-
ricis loco pœnitentiæ publicæ vel

E

solam

solanum depositionis pœnam, vel Communionem laicam dictaram fuisse, canonesque de illorum pœnitentia loquentes de his tantum pœnis intelligendos esse volunt. Verum his refragantur nedum alii multo plures Morinus videlicet, Witasse, Gervasio, Natalis &c. sed & sat clara conciliorum decreta; sic primo Concilium Cæsariense C. i in Presbyteros fornicationis, aut adulterii reos ita decretivit: Presbyter, si fornicatus fuerit, aut adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjiciatur, ut pœnitentiam inter laicos redactus agat. Secundo Conc. Illiberit. can. 76. ita statuit: quis Diaconum se permisit ordinari, & postea fuerit in criminis detectus . placuit eum acta legitime pœnitentia post triennium accipere Communionem.

N.9. Hoc tamen hic notandum, Clericos saltim majores Seculo jam IV. a lugubri illa, ac publica pœnitentia in gradu substratorum exercenda exemplaros fuisse, id enim sat clare constat ex Conc. Carthag. V. A. 398. in cuius can. 11. sic decretum: *siquando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori*


viori Culpa convicti fuerint . . . non eis manus tanquam fidelibus laicis imponatur. Item ex cit. supra epistola S. Leonis 2da, aliis 92da, ubi id alienum a consuetudine Ecclesiastica esse fatetur. Conferatur Natalis Alex. jam citatus, qui & insuper asserit, eam tamen his non fuisse denegatam, si eam pietatis, & humilitatis animo postulassent.

N. 10. Quodsi quis nunc rigorem ipsum, quem Ecclesia circa peccatores pœnitentiæ publicæ subjectos servavit, scire aveat, Maldonatum adeat, qui Tom. 2. de Sacram. pag. 136 ipsa illa opera laboriosa pœnitentium ex variis Autoribus, ritualibus, ac conciliis colligit, quorum aliqua hic subjicio: I. Pœnitentes de mensa Eucharistica non participabant. II. Ad SS. Ordines promoveri non poterant. III. Nec ad Matrimonium admittebantur, qui vero Matrimonio jam juncti erant, his toto pœnitentiæ tempore ejus usus prohibebatur. IV. Nec licebat iis pretiosas induere vestes, aut saccum deponere. V. Nec iter habere iis permisum nisi pedestre &c.

N. II. Verum quid de critica illa quæstio-
ne, an videlicet quibusdam pecca-
toribus gravioribus aliquando abso-
lutio in ipso etiam vitæ exitu dene-
gata fuerit? Notandum varias esse
circa hanc eruditorum Sententias,
quæ tamen conciliari posse videntur,
si cum clar. Natali Dissert. VII. ad
Sec. III. dicatur, canonicorum cri-
minum reis aliquando in ipso etiam
vitæ discrimine absolutionem Sacra-
mentalem negatam esse, si in infir-
mitate duaxat pœnitentiam postu-
lassent, non tamen ipsis jam poenitentia
functis, aut in ea occupatis
periclitantibus. Primum autem pro-
bat Autor citatus ex S. Cypriano,
epist. 52. ad Antonianum: *idcirco*
inquit, *Frater carissime pœnitentiam*
non agentes, nec dolorem delictorum suo-
rum toto corde testantes prohibendos om-
nino censuimus a spe communicationis,
& pacis, si in infirmitate, atque peri-
culo cœperint deprecari, quia rogare
illos non delicti pœnitentia, sed morbi
urgentis admonitio compellit. Item ex
conc. Arelat. I. A. 314. Alterum
probat partim ex exemplis illis Co-
rinthii incestuosí, juvenis illius la-
tronum ducis, item mulierum illa-
rum a Marco Hæresiarcha stupra-
tarum,

tarum, partim vero ex canonibus
sic dictis Apostolicis præsertim 51.
60. 61. Item ex conc. Nicæno Can.
13 ita sanciente: *de his, qui ad exi-*
tum veniunt, etiam nunc lex antiqua,
regularisque servabitur, ita, ut, si quis
egreditur e corpore ultimo, & maxime
necessario Viatico minime privetur.
Per viaticum autem maxime nece-
ssarium P. P. Nicænos intellexisse
absolutionem a peccatis, non vero
Eucharistiam probat ex eo, quia eo-
dem canone etiam decreverunt: ge-
neraliter autem omni cuilibet in exitu
posito, & poscenti sibi communionis
gratiam tribui, Episcopus probabiliter
ex oblatione dare debet. Interim
primus ille rigor juxta variorum Au-
torum Sententiam non fuit univer-
salis, & ubi aliquando viguit, post
tempus non diuturnum cessavit, &
merito, utpote Spiritui piæ Matris
Ecclesiæ non bene conveniens.

F i n i s.



Inches

1
2
3
4
5
6
7
8

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

